



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola VII. Hadriani Papae IV. Ad Basilivm Archiepiscopvm  
Thessalonicensem. Pro Graecorum concordia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

Pro Græcorum concordia.

*Hadrianus episcopus servus servorum Dei venerando fratri  
Thessalonicensium archiepiscopo salutem & apostolicam be-  
nedictionem.*

**E**x quo per invidiam hostis antiqui Constantinopoli-  
tana sedes a sacrosancta Romana & apostolica (quod  
sine lacrymarum inundatione vix famur) ecclesia seip-  
sam separavit, & hominis inimicus proprium malitiæ ve-  
nenum effudit, & a matris obedientia liberi secesserunt,  
vnitatisque locum binarius subiit, laborem multum &  
studium, qui nos præcesserunt beati Petri successores, ad-  
hibuerunt, vt schisma de medio tolleretur, & vnitati ec-  
clesiæ qui se ab ea separarunt redderentur. Quamobrem  
& nos, qui hoc tempore apostolicæ sedis curam suscepi-  
mus, vt Deo placet, pro omnibus ecclesiis, quæ sunt in-  
tra terrarum orbem constitutæ, quamuis beati Petri vir-  
tutibus par nihil habeamus, ministerio tamen fungi co-  
gimur. Ad id credimus attendendum, ne connume-  
remur (quod absit) iis quos per prophetam Dominus re-  
prehendit, dicens: *Quod eiectum est non introduxistis, quod*  
*infirmum non sanauistis, & quod periit non quæsiuistis, &*  
*quod confractum non obligastis.* Ideoque ad introductionem  
liberorum in locum ecclesiæ & vnitatis, inuentionemque  
amissæ drachmæ properemus, & apostolico præcepto  
incitati in eos qui doctrinæ sermones aspernantur, vt  
persuasum habeamus, moderari, & fidelium admonitio-  
nem tempestiue intempestiue factam: & illius exemplo  
edocti, qui erat gloriæ Dominus, & omnia in sua potesta-  
te habens inclinare fecit cælos, & descendit, acceptaque  
serui forma seipsum exinaniuit, vt ouis amisso suo gregi  
restitueretur. Vnde, frater in Christo, dilectionem tuam  
his literis admonemus, vt hanc rem diligenter cures. Nam  
vna sola est ecclesia, & vna sola sanctificationis arca, in

Ezech. 34.

Locus cor-  
ruptus.



quam vnumquemque fidelium e diluuiio seruari oportet : & circa vnionem eius modis omnibus labores : tuaque cogitet prudentia, vt ecclesia Dei non possit diuisa consistere, vt omnem animam viuentem e præsentis diluuii procellis intra vnam arcam ecclesiæ congregari oporteat ad beatum Petrum omnium fidelium gubernatorem.

Traditum est quonam modo sancti patres, diuino Spiritu illuminati, omnium ecclesiarum primatum sacrosanctam Romanam ecclesiam absolute obtinere iusserint, & ad eius sententiam omnium iudicium referri præscripserint; & ad tollendam de medio diuisionem, ad vnionem ecclesiæ, ad coniunctionem diuisi parietis, propter Dei dilectionem, propter animæ salutem, & propter fruitionem gloriæ, quæ non marcescit, vigilanter aduerte. Primum apud te ipsum, deinde in aliis, quatenus diuina gratia largitur; da operam, vt grex cum ecclesia vniatur, & qui se ipsos dominicas oues confitentur, ad gregem beati Petri reuertantur, qui Domini iussu eorum curam suscepit. Nos quidem in hoc non temporariam laudem spectamus, non prætereuntem gloriam quærimus, qui pascendi suscepimus officium (seruos nos omnium Dei seruorum confitemur) sed cum Dominum & magistrum nostrum, vt vnum mortuum resuscitaret in corpore, profectum fuisse, & lacrymatum legimus ad sepulcrum, & dixisse, *Lazare, exi* Ioh. 21. *foras*, iudicamus indignum, si Domini retineamus talentum, & quos possumus in anima resuscitare negligamus. Quod superest, dilectos filios nostros Balduinum & Balditzioninum præsentis tabellarios ad dilectissimum filium nostrum Emmanuelem imperatorem Constantinopolitanum, a religioso cœtu missos, dilectioni tuæ studiose commendamus: rogantes vt per dilectionem Dei, beatique Petri, & sedis apostolicæ, & pietatis cultum, aspectu gratioso in eorum necessitatibus consolationem adhibeas. De tua valetudine cupimus per literas fieri certiores.